

rum non obscura hæc vobis sunt, *Amici dulcissimi!* nec  
vestra ipsorum sententia ullus illi turbæ est color, quæ

hominum est certissima pestis,

Perpluit in cuius pectus Venus atque Cupido,

Cui mel postibulum est, meretrix ubi splendida

Thais,

Sandalii gerulæ, stabelliferæque puellæ,

Cistellatrices, cantrices, vestispicæque,

Cui sordent studia, at diludia turpia rident,

Qui patrum furantur opes, furantur amatæ

Spem frugis &c. (q)

Vobis vero ut patet ad virtutem aditus, ita dulcedinem  
ejus enixe collaboratis occupare. Nec querulas quem-  
quam voces fundere audimus, sibi difficili per salebras  
anfractu esse enitendum, nimioque opere studiorum,  
accessiones redimendas, postea quam ad munificen-  
tissima Primorum Conditorum de Academia merita,  
succeedentium Principum magnificentissima accessit  
promptitudo, qui sacrarium hoc suum splendidissime  
exornarunt. Ut de aliis nihil addam, & quæ Civitatis  
hujus Amplissimæ in Academiam sit benevolentia, in  
præsentia non evolvam, nostis, quæ Pindi nostri ex beni-  
gnitate Serenissimi ac Potentissimi Terrarum Meclen-  
burgensium Ducis, hodie regentis FRIDERICI WIL-  
HELMI, DN. nostri Clementissimi, sit prosperitas? quis  
vigor? Adeo nunc omnis literarum asperitas; omnis  
sapientiæ acrimonia superiorum tam provida cura vi-  
detur exspirasse, ut nil nisi doctrinæ amœnitatem a-  
veatis, & leniori Musarum aura afflari maximopere,

Bz

veli-

(q) bellefic mores corruptæ indolis pingente SIGIS-  
MUNDO DURFELDIO in Orat. seculari, 1619. d. 19.  
Novembr. Rostochii habita,